

Respondetur concedendo quod relatio ista non est causalitas, neque emanatio, aut influxus Dei in creaturam, sed solum respicientia creaturæ factæ, et productæ, quæ respicit Deum per modum dependentis, et derivatæ ab ipso. Et cum dicitur quod supponit creaturam dependentem, et fundatur super dependentia, supponit dependentem ratione ipsius esse recepti, et participati a Deo, concedo; ratione alicujus influxus aut tendentiæ ex parte creaturæ se tenentis, qui sit influxus creatus, et fieri creatum, nego; sufficit enim ad creationem influxus activus ex parte Dei se tenens, non in creatura receptus, quia non est ubi recipiatur, cum totum faciat etiam ipsum subjectum: ex parte autem creaturæ sufficit quod ipsius esse, et totum ens sit acceptum, et derivatum ab isto influxu activo, tamquam effectus ejus, nec aliquid ex parte creaturæ est, quod effectus non sit, et res facta, non influxus, et fieri tendens ad factum esse. Quod autem dicitur relationem esse posteriorem creatura, fatemur, ut etiam fatetur D. Thomas in hac quæstione XLV, art. III ad III, et qu. III de potentia, art. III ad III. Et concedimus similiter quod talis relatio non est emanatio, seu dependentia a Deo per modum viæ, et tendentiæ, sed per modum respicientiæ, quæ res emanans respicit suum principium; nec datur alia emanatio per modum viæ, et tendentiæ antecedentis rem ipsam creatam, sed solum datur ipsum esse derivatum a Deo, cum inceptio, seu novitate essendi. Et cum additur, non posse negari hanc emanationem, quia datur res emanata, et derivata a Deo, respondetur dari quidem emanationem, et processionem creaturæ a Deo, sed non per modum tendentiæ alicujus, et viæ mediantis inter Deum ut principium, et rem proce-

dentem, quasi sit processio in fieri, et de potentia ad actum, sed per modum effectus in ratione entis, et in facto esse derivati, et dependentis ab activo influxu Dei, sine intervenitu alterius tendentiæ mediæ, sicut sine illa procedunt Personæ in Deo, et datur in eis emanatio, et processio. Solum autem ubi datur mutatio, datur ista tendentia mediæ, et fieri respectu rei factæ, quatenus datur subjectum tendens, seu transiens de uno extremo ad aliud: sine mutatione autem processio datur per immediatam derivationem, et dependentiam novi esse, et rei factæ a suo activo effluxu ex parte Dei se tenentis, ut ponderatum est. In Personis autem divinis datur processio, etiam sine dependentia, sed per communicationem ejusdem essentia.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur actiones transeuntes, de quibus philosophus loquitur, et quas ipse agnovit, esse mutationes, non autem simplices dependentias, et receptiones ipsius esse a suo universalis principio; et hoc modo ponitur res creata extra Deum, non per aliquem fluxum medium inter principium a quo procedit, et rem procedentem; et ita in hoc non tenet exemplum de productione caloris per calefactionem, quia calefactio est alteratio, et mutatio, non processio totius esse. Et non dicimus quod derogat perfectioni divinæ ista actio pro ea parte, qua consideratur ut aliquid effectum, et derivatum a Deo, sicut causalitas, sed pro ea parte qua universalis effluxus est, totum faciens, et nihil supponens; et sic non habens ubi subjectetur extra Deum ad hoc ut faciat, et influat totum esse. Et ad id quod dicitur de instrumentis Dei, respondetur instrumenta recipere virtutem seu concursum Dei elevativum ad faciendum aliquid ultra id quod ex se pos-

sunt, sed non ad influendum sine actione immutativa, seu per actionem creativam, et ex nihilo, quia ad hoc non potest dari instrumentum, ut articulo quarto dicitur. Et sic non est simile de actione, seu concursu cum instrumentis, et de creatione. Quod vero insinuat de actione Dei transeunte, et non immanente, jam supra disputatione undecima agentes de omnipotentia Dei, ostendimus non dari in Deo actionem pure transeuntem, sed ipsum imperium Dei esse virtualiter practicum, et actionem esse ipsam puram actualitatem Dei, quæ seipsa est in actu secundo, et non per reductionem de potentia ad actum seu de actu primo ad secundum.

ARTICULUS III.

Quæ res proprie creentur?

I. Res quæ creari possunt duas condiciones habere debent.

Prima est, ex parte termini ad quem, quod totum esse, et quidquid ad rationem entis in eis pertinet, ex vi actionis, seu productionis accipiant. Secunda, ex parte termini a quo, quod ex nihilo producantur, ita quod nihil eorum præsupponatur. Et quia hæc duo conjungere solum pertinet ad primum, et universalissimum principium quod est causa, et fons totius esse, ideo tertium requisitum addi potest, quod scilicet illud esse quod per creationem habetur, ex Deo immediate promanet, quæ est conditio ex parte causæ efficientis requisita. Sed de hac conditione abundantius dicitur sequenti articulo, quia dubitari potest an aliqua creatura saltem de absoluta potentia creare possit.

Potest ergo difficultas esse circa aliquas creaturas, an proprie per

creationem fiant, aut fieri possint, partim quia immediate a Deo procedunt, partim quia non ita clare apparet, an possint accipere esse ex nihilo, partim quia non habent esse simpliciter, sed secundum quid, quod primo, et per se non fit, et consequenter neque creatur. In his ergo ex parte accidentium est difficultas de gratia, et donis supernaturalibus, quia a solo Deo infunduntur, et significantur creari in Scriptura, ut Psal. L: *Cor mundum creavit in me Deus*: ad Ephes. II: *Creavit in Christo Jesu in operibus bonis*. Ex parte vero substantiarum potest esse difficultas de substantiis incompletis, ut de materia quomodo creetur, et de formis, sicut de anima rationali, et de aliis, si per se sine materia producerentur. Potest etiam esse difficultas de ipsis substantiis compositis in quantum composita sunt, an possint creari, eo quod in ratione compositi supponuntur partes, et non videntur fieri ex nihilo, sed ex aliquo.

In hac parte sententia D. Thomæ in hac quæstione XLV, art. IV est, quod creari proprium est rerum subsistentium, sive sint composita, sive simplicia. Formæ autem, et accidentia proprie non creantur, quia non habent esse ut quod, sed ut quo, seu sunt partes, quæ potius dicuntur concreari, quam creari. Quæ sententia ut melius explicetur, sequentes elicio conclusiones.

II. Prima conclusio: Gratia, et alia dona supernaturalia, et quæcumque accidentia quæ fiunt ut inhærentia in subjecto etiam si immediate a Deo fiant, non creantur. Sumitur ex loco citato D. Thomæ. Specialiter autem, quod gratia non creetur, sed fiat actione eductiva docet S. Thomas qu. XXVII de veritate, art. III ad IX, ubi respondet rationi oppositæ, quæ ponebat ideo gratiam non causari a creatura, quia

non educitur de potentia materiæ, sed fit per creationem. Et respondet sanctus doctor quod : « Illa ratio non est usquequaque sufficiens : nam creari proprie est rei subsistentis, cujus est proprie esse, et fieri : formæ autem non subsistentes sive substantiales, sive accidentales non proprie creantur, sed concreantur, sicut nec esse habent per se, sed in alio. Et quamvis non habeant materiam ex qua, quæ sit pars eorum, habent tamen materiam in qua, a qua dependent, et per cujus mutationem in esse educuntur, ut sic eorum fieri sit proprie subjecta eorum transmutari. » Ita D. Thomas qui etiam videri potest 1-2, qu. cx, art. II ad III et qu. III de potentia, art. VIII ad III, ubi ratio, et fundamentum conclusionis insinuat, quia gratia fit in anima per educationem ejus de subjecto, et per mutationem veram, et propriam : ergo non per creationem. Consequentia patet, quia creatio est ex nihilo, non ex potentia subjecti educens : quod enim in potentia subjecti, et per transmutationem ejus fit, non fit ex nihilo, sed ex aliquo. Antecedens vero probatur, quia fit ut dependens a subjecto, si quidem non habet esse per se, sed ut inhærens illi : ergo producit, ut habens causam materialem receptivam sui : ergo per transmutationem ipsius subjecti fit, quia ex se non habet illam formam, et modo habet ; similiter educitur de potentia subjecti, non quidem de potentia naturali, sed obedientiali, quia anima est subjectum capax illius, dummodo per potentiam supernaturalem fiat, quia ab agente naturali fieri non potest ; et sic neque in potentia naturali subjecti continetur, bene autem in potentia obedientiali, quia secundum potentiam obedientialem recipitur, et sic ex illa educitur. Quod autem ex potentia obedientiali fit non ex nihilo

fit, quia potentia obedientialis non est nihil, sed aliquid.

III. Contra hanc conclusionem senserunt aliqui antiqui scholastici, quos citat p. Vasquez hic disp. CLXXIV, c. I, quorum tamen pluri mi non dicunt gratiam creari, sed concreari, quia proprie accidens non fit per se, sed dicitur aliquid fieri secundum illud. Et D. Thomas hoc modo loquendi utitur, ut supra vidimus. Quid autem intelligatur per hoc quod est concreari gratiam, cum revera nullo modo fiat ex nihilo, nec per se sola, nec cum subjecto, aliqui difficultatem inveniunt, et præsertim quia aliquando infunditur gratia seorsum ab omni creatione subjecti, ut cum homo jam existens baptizatur, aut quovis modo justificatur : tunc enim quomodo concreatur gratia, cum nulli rei, quæ tunc creatur ejusve creationi adjuncta sit ejus productio, non potest autem dici quod concreatur gratia, nisi sit aliquid quod creetur, quia concreari est simul cum alio creari.

Respondetur ergo quod D. Thomas dicit concreari non solum gratiam, sed etiam alias formas sive substantiales, sive accidentales, quia non habent esse per se. Unde cum hoc commune sit omnibus istis formis, ut patet in verbis supra adductis ex D. Thoma qu. XXVII de veritate, frustra Vasquez supra citato capite secundo laborat in impugnando eos qui dicunt dari causam instrumentalem gratiæ, scilicet sacramenta, et ex alia parte negant posse dari instrumentum ad aliquid creandum, quia non potest concreari gratia, nisi simul creetur aliquod totum, quod simul cum gratia creetur. Cæterum S. Thomas cum dicit concreari gratiam, non loquitur specialiter de gratia, sed generaliter de quacunque forma substantiali, vel accidentali, quæ non creatur, quia non

habet esse per se, sed concreatur, quia habet esse in alio ; et tamen non est dubium quod aliæ formæ accidentales, vel substantiales possunt produci, vel instrumentaliter, vel principaliter a creaturis : ergo hoc quod est gratiam posse instrumentaliter produci non infirmatur per ly concreari, cum æqualiter dicat D. Thomas concreari gratiam, et alias formas non subsistentes, accidentales, vel substantiales. Veritas ergo est quod quando substantia aliqua creatur cum suis accidentalibus, et etiam cum gratia, v. g. Angelus, vel anima Christi, tunc dicuntur proprie concreari accidentia, et gratiam, quia unica, et eadem actione attinguntur (simul concedens naturam, et largiens gratiam, dixit Augustinus de Angelis) quia eadem actione qua producit natura, seu forma, producentur consequentia ad formam, id est, accidentia. Et in tali casu non datur instrumentum ad illam concreationem, sicut nec ad principalem creationem. Cæterum quando gratia subjecto jam producto infunditur, tunc non concreatur proprie, et stricte loquendo, sed educitur de potentia obedientiali subjecti, et ad talem productionem potest dari instrumentum physicum, quia actio educitiva est.

IV. Dico secundo : Res simplices subsistentes, sive subsistentia completa, et suppositiva, sive non, ut anima rationalis, et quæcumque habent modum essendi sine subjecto, creari possunt. Hæc sumitur ex generali regula D. Thomæ tam in hac quæstione XLV, art. IV, quam in aliis locis citatis, quod subsistentia sive simplicia sive composita creari possunt, quia ejus proprie, et directe est fieri, cujus proprium est esse, illa autem proprie habent esse quæ existunt ut quod : sic enim in se habent esse : quæ vero solum existunt

ut quo, non proprie dicuntur existere, quia non in se habent esse, sed illis aliquid existit, et illud aliquid est quod existit. Quæ regula complectitur generaliter omnia quæ habent existere ut quod, et per se, non ut præcise coexistens, seu ut principium quo existendi se habent.

Ratio vero sumitur ex dictis, quia tales res simplices, et subsistentes, seu ad modum subsistentium se habentes, habent esse per modum rei, non eductæ ex alia ut ex subjecto, sed in se, et per se subsistentes, et alias fiunt ex nihilo, quia ex subjecto non pendent a quo educantur, et in quo contineantur : ergo non fiunt de potentia ad actum, sed de nihilo fiunt, et immediate a Deo accipiunt esse : ergo vere, et proprie creantur, quia omnes conditiones veræ creationis in eis concurrunt. Et discurrendo per singula id manifestatur, quia Angeli qui sunt formæ simplices subsistentes suppositaliter vere, et proprie creantur, quia non fiunt ex aliquo subjecto, nec ex aliquo præsupposito, cum in se partibus careant : in extrinseco autem subjecto non recipiuntur, nec ab eo dependent, cum sint formæ subsistentes, non inhærentes. Similiter anima rationalis per se subsistit independentem a corpore, licet ei uniat, et infundatur, sed tamen in se habet esse, et separata a corpore subsistit : ergo non educitur de materia tamquam de subjecto in quo contineatur, et a quo educatur, nec habet in se partes ex quibus fiat : ergo fit ex nihilo, quod est creari. Et licet habeat communicari corpori, hoc non tollit quin esse suum non sit dependens a corpore nec ab illo eductum, quia est spirituale, et subsistens in se : ergo non tollit quominus sit factum de nihilo, et creatum, licet communicabile. Tandem formæ substantiales, et accidentales si sine subjecto, et depen-

dentia actuali a materia vel subiecto producantur (ut produci possunt) accipient esse a Deo independenter a subiecto, et non unitum illi : ergo prout sic non educuntur de subiecto : ergo fiunt ex nihilo. Nec obstat quod accipiant esse a subiecto dependens ex se, et potens subiecto uniri, licet actu ei non unitum : ergo tale esse non est creatum, sed ordinem dicens ad subiectum cui postulat uniri. Respondetur enim totum hoc habere in aptitudine, et in potentia, actu vero esse independenter a subiecto, et produci independenter ab illo, quod est actu non educi a subiecto, licet ei possit uniri : ergo actu non fit ex subiecto, quia illud fit ex subiecto, quod dependens ab illo : ergo actu fit ex nihilo, licet cum potentia, et aptitudine ut reddatur dependens a subiecto, sed tunc conservabitur perinde ac si esset eductum ab illo : si vero producit independenter ab illo, producit ex nihilo.

V. Dico tertio : Composita subsistentia, etiam prout composita, vere, et proprie creantur per modum cuiusdam totius quod primo, et per se fit, non solum ratione alicujus partis, quæ per creationem est, v. g. cum fuit creatum cælum, et terra, ipsa terra ut quoddam compositum est, et per modum totius unica actione facta est, et similiter cælum, non quia materia prima eorum creata est, ideo solum creari dicuntur. Hæc est contra p. Vasquez ubi supra capite quarto, qui sentit singularum partium esse singulas productiones, et alteram totius, quia ex compositione conflatur. Unde quia hæc productio totius supponit partes ex quibus fit, et resultat, non fit ex nihilo, sed ex aliquo præsupposito : ergo illa unio partium in qua consistit ratio compositi non est de nihilo. Et idem est de conservatione talis compositi, seu unionis :

illa enim conservatio, quædam continuatio est primæ productionis compositi, et unionis ex partibus.

VI. Cæterum hæc sententia, et ejus fundamentum e diametro pugnat cum D. Thoma. Nam in articulo quarto hujus quæstionis XLV docuit oppositum, et in solutione ad secundum respondit ad fundamentum ipsum Vasquez : dixit enim in corpore articuli quod : « Illis proprie convenit creari, et fieri quibus convenit esse ; quod quidem convenit proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sive sint composita, sicut substantiæ separatæ : » constat autem quod esse subsistens, et esse quoddam totum completum non convenit partibus, quæ entia incompleta sunt (excipio animam rationalem, quæ in se subsistens est) sed ipsi composito ut quoddam totum est : ergo ut compositum, et ut totum, debet terminare creationem, et proprie fieri, et creari : in solutione autem ad secundum solvit fundamentum Vasquez ; proposuerat enim tale argumentum : « Composita non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus : ergo compositis non convenit creari. » Respondet : « Ad secundum dicendum quod creatio non dicit constitutionem rei ex principiis præexistentibus : sed compositum sic dicitur creari quod simul cum omnibus suis principiis in esse producit. » Et fundamentum hujus sententiæ est, quia creatio est productio totius entis ex nihilo, ita quod procedat res per creationem secundum universalissimum influxum totius esse a Deo : ergo illud per se primo creatur, quod per se primo est totum, et habet esse per modum totius, hoc autem est ipsum totum, non partes ejus, quia pars, ut pars in composito non habet esse per se, nec induit rationem totius : ergo creatio non potest terminari ad

partes, ut habent rationem partis, sed ad ipsum totum quod est compositum, quia hoc habet esse per modum totius, partes non nisi ut pertinentes ad hoc totum. Ergo illa actio quæ tendit ad esse, et respicit illud in quantum totum et integrum ens, non potest incipere a partibus, et ex illis conflare totum, sed potius a toto descendere ad partes. Quod explicatur amplius, quia procedere a pluribus ad totum conflando illud ex conjunctione partium, est proprius modus particularis agentis, et procedens ab imperfecto ad perfectum, a potentia ad actum, quia partes sunt imperfectiores toto, et in potentia ad illud : omne enim totum est majus suis partibus, quod si majus, ergo et perfectius. Actio igitur quæ prius attingit partes, et ex partibus constat, et componit totum procedit ab eo quod imperfectum, et potentiale est, ad id quod est majus, et perfectius. At vero creatio non procedit ab imperfecto ad perfectum, nec a potentiā ad actuale, quia est actio agentis infiniti operantis per universalissimum influxum totum esse rei, et totum ens, prout ens est : ergo non incipit a partibus, et inde componit totum, sed immediate ad ipsum totum respicit, et ad id quod primo, et per se habet esse, non ad partes, et ad id quod habet esse secundum quid, et ut quo, seu ut pars non esse simpliciter complete, et plene, sicut ipsum totum constans ex partibus. Denique istæ partes ex quibus consurgit totum, non se habent ut terminus a quo, quia non relinquuntur a creatione, sed comproducentur in ipso termino ad quem, nec se habent ut subiectum præsuppositum, super quod cadat actio creativa, et conflativa ipsius compositi, seu suppositi : id enim proprium est actionis, quæ est mutatio, et generatio, quod ex subiecto, et ex præsuppositis parti-

bus faciat, et construat totum, sicut generatio hominis, aut resuscitatio illius : ergo si in creatione partes non se habent ut subiectum, seu materia ex qua educitur totum, nec ut terminus a quo : ergo bene compatitur cum hoc quod compositum sit ex partibus, ut ex constituentibus extremis, quod non sit ex aliquo ut ex termino a quo, vel ex materia a qua educatur ipsum compositum : ergo simpliciter erit ex nihilo, et erit creatio, noneductio, etiam ut tangit compositum.

VII. Quare si illa actio, prout facit compositum, non est creatio, sed sicut generatio, aut resuscitatio, et per modum mutationis se habens, non poterit esse realiter eadem actio cum creatione partium, quia non possunt in unum consolidari actio mutatio, et actio non mutatio, seu ex nihilo. At vero ipsa partium productio si sumatur per se sola, et prout præcise partes attingit, creatio non est, quia ipsæ non habent esse simpliciter, nec in se habent illud, saltem perfecte, et complete. Unde sola partium productio non est productio completa, et perfecta, nec totius entis, sed est productio procedens de imperfecto ad perfectum, et attingens prius quod potentiale est, quam quod actuale, et totum : constat enim quod si pars non producit, ut subsistens in se, et sicut anima rationalis, sed ut conjuncta ipsi toti, actio attingens illam sic, est dependens ab ulteriori terminatione, quia non sistit in productione illius partis dans illi esse, sed transit ad totum, in quo ipsa pars invenitur ut constituens illud : ergo non est actio perfecta in dando esse, sed solum partialiter se habens, et potentialiter respectu totius entis : quod est concreari, non per se creari : ergo nec in partibus, nec in toto salvabitur creatio proprie et directe, quæ est creatio totius